
OBSERVATIONES CRITICAE

IN

L. ANNAEUM SENECAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXV.
HORA XI ET DIM.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
OTTO MATTHIAE
ANHALTINUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS VATKE, PHIL. DR.
CAROLUS KOPPIN, PHIL. DR.
PAULUS ZIMMERMANN, PHIL. STUD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

CAROLO SINTENIS

GUILELMO CORTE

PRAECEPTORIBUS OPTIME DE ME MERITIS

SACRUM.

Selegimus quosdam L. Annaei Senecae libros, de quibus disputaremus, non quod putaremus nos laborem a priscis illis hominibus doctis qui Senecae operibus emendandis operam inpenderunt bene institutum digno et Seneca et illis modo persequi posse, nec quod opinaremur nos gravia admodum et praeclara adferre posse aut incertissimorum commentorum acervum nostris coniecturis augere vellemus, sed quia persuasum habemus nostri scriptoris opera ut a vitiis quibus oppleta sunt paullatim liberentur atque, si tamen fieri possit, tandem perpurgentur multorum hominum opus esse diligentia. Senecae librorum neque depravatio exigua neque emendatio ubique satis tuta est: exemplaria scripta enim, quorum multa quidem ab hominibus doctis excussa sunt, vitiis laborant magnam partem et gravibus et multis, neque ullum adhuc eis plane liberum inventum est. multos autem adhuc libros manu scriptos in bibliothecis latere qui aut nondum excussi aut adcuratius quam adhuc factum est explorandi sunt, et liquido confirmare possumus et licet suspicari: quanquam non sperandum est fore ut ex adparatu critico, quem grammatici dicunt, augendo magnam utilitatem capiamus, cum libri

manu scripti boni et probi in pessimis mendis conspirare videantur deductaeque sint singulae eorum stirpes e libro non integro. quare plus spei reponimus in diligentia et acumine doctorum hominum et maxime eius viri, quem emendationibus quas in prooemio ind. lect. univ. Berolin. a. 1864/5 proposuit ut addat alias, quarum et multas et egregias in promptu habet, rogamus atque oramus. interim nos de non nullis locis pro virili parte disputabimus: gratiam quidem fore ut nos ab hominibus doctis ineamus sperare non licet; nihilo tamen minus, etiamsi eorum omnium quae tractavimus nihil recte procurasse hominibus doctis visi erimus, litteras adiuvandi voluntatem saltem excusatum iri confidimus.

Quae Seneca philosophi operum fata fuerint, qui perspexerit, eum fugere non potest unam eandemque esse causam quae, quo modo pleraque Senecae scripta et servata et tot tantisque vitiis inquinata sint, demonstret. satis enim constat, cum sui saeculi auribus acceptissimus fuisset Seneca, insequenti saeculo haud paucis eum displicere coepisse cum illis qui Ciceronianum eloquentiae genus praeferebant ut Quintiliano, tum maxime antiquariis illis Gellio et Frontoni eorumque asseclis, qui omni recti simplicisque sensu destituti et nova inusitataque aucupabantur et exoleta verba de industria revocabant*). ac fortasse

*) Cf. quae Gellius noctium Atticarum libro XII, 2, 1. 11 dicit, *haec tamen inepti et insubidi hominis ioca non praeteribo.* Frontoniana quae huc pertinent transcribimus ex exemplaribus a Niebuhrio a. MDCCCXVI editis. scribit igitur Fronto ad Antonium Augustum epist. IV, 3 (edit. Niebuhr pag. 123) haec, ... *neglegas tamen vero potius censeo, quam prave excolas; confusam eam ego*

pauci tantum ex eius libris servati essent, nisi Christianorum pia credulitate factum esset ut diligenter legerentur. cum enim permulta apud eum invenirent non ita diversa a religionis christianae doctrina, iam pridem sibi persuaserant Senecam fuisse verae religioni addictum: quae opinio antiquissima quia nitebatur praeter gravitatem Senecae et virtutis studium aliqua philosophi nostri familiaritate, quam cum Paulo apostolo intercessisse multi existimaverunt et in primis epistulis illis commenticiis quae inter eos missae esse credebantur, commovit Hieronymum ut Senecam in catalogum scriptorum ecclesiasticorum referret. sed cum opera eius hoc modo non solum ab interitu servarentur, sed etiam saepissime describerentur, in scholis legerentur, scholiis instruerentur, fieri non potuit quin aliis iniceretur libido ea mutandi vel resecandi quae illi consilio officere ipsis visa essent, alii quo habiliora et parabiliora facerent exemplaria, omitterent locos minoris habitos. unde orta sunt exempla illa librorum Senecae mutilata et in conpendium redacta. (de his omnibus rebus adcurate et copiose disseruit Fickertus in prolegom. pag. 4.) quae cum minime inter se consentiant, manifestum est non unum fuisse fontem, ex quo hos quasi rivulos deductos esse credere veri simile sit, sed pro cuiusque et arbitrio et consilio varie ea mutilata esse. ea vero exemplaria quibus in scholis ute-

---

eloquentiam catachannae ritu, partim ligneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus, immo vero Plautino irato verbo exradicitus. quae ita adscripsimus ut Buttmanno emendanda visa sunt: in palimpsesto enim Angelus Maius non *ligneis* invenerat sed *igneis.*

bantur multis sunt additamentis inquinata: quae cum non modo in oris vel imis paginis inveniantur, sed etiam ipsis Senecae verbis inserta sint, corruptelae frequens occasio fuerunt. huc accedit quod Senecae oratio ita conformata est ut facile patiatur et adiectionem et omissionem quin sentias facile si quae aut exciderunt aut aliunde accesserunt.

De emendandi officio si quaerimus, non omnium librorum par ratio est. extant autem omnium multi libri manu scripti: cum enim, ut iam supra diximus, medio quod vocatur aevo Seneca inter scriptores probatissimos lectuque dignissimos haberetur, factum est ut plurimis ubique exemplis descripta eius opera mendis inficerentur et multis et gravibus. pauci sunt codices vetustissimi qui, quanquam et ipsi aliquando aut errore aut consilio depravati sunt, longe tamen ceteros integritate et fide superant. ex his est codex Mediolanensis (a Fickerto A littera notatus) noni saeculi ad decimum inclinati, qui cum omnium antiquissimus, tum longe praestantissimus est. continet ille libros de providentia ad Lucilium, de sapiente in quem non cadit iniuria nec contumelia ad Serenum, de ira ad Novatum, de consolatione ad Marciam, de vita beata ad Gallionem, de tranquillitate ad Serenum, de brevitate vitae ad Paulinum, de consolatione ad Helbiam matrem. par virtus est codicis Nazariani (Sancti Nazarii in Laurissa) reliquis tam vetustate quam sinceritate longe praestantior, qui habet libros tantum de beneficiis et de clementia. ad adcuratam conlationem in Mediolanensi aliqua, in Nazariano multa, teste Fickerto, desiderantur; neque tamen dubium est quin prae illorum auctoritate reliqui libri manu scripti maximam partem parvi habendi sint, quippe qui in locis de-

pravatis nihil plerumque habeant nisi vitia ex illorum vitiis nata aut vitiorum correctiones vitiosas.

Initium ducimus ab epistulis moralibus ad Lucilium scriptis. sed ut solido et certo firmamento superstruamus disputationem nostram, ante omnia de codicum manu scriptorum aestimatione disputandum erit. cum autem in L. Annaei Senecae operibus, quae propter amplitudinem particulatim descripta sunt, suus sit singularum partium subsidiorum adparatus, quem grammatici vocant, ante quam ad singulos locos considerandos accedimus dicenda quaedam sunt de codicum quibus epistulae continentur et cognatione et universa fide.

Epistulas Lucilii nomine inscriptas quot numero Seneca reliquerit nescimus: id vero pro explorato est non omnes superesse. et pars earum iam antiquo tempore periisse videtur. atque epistularum codices quotquot innotuerunt praeter communem depravationis labem eo uno indicio in unum gregem includuntur, quod omnes tertio volumine carent: in tria autem volumina eas olim divisas fuisse ex Auli Gellii noctium Atticarum libro XII, 2, 3 discimus; sed tertii nulla post Gellium extat memoria. in exemplaribus quae aetatem tulerunt 124 epistulae sunt in XX libros divisae. quarum prior pars epistulas 1—88 sive libros epistularum XIII continet, altero volumine epistulae 89—124 (sive posteriores VII libri) conprehensae sunt: libri vicesimi secundi, e quo Gellius quaedam descripsit, nec vola nec vestigium adparet. atque priores duae quae supersunt partes cum, nisi in recentioribus libris, non uno codice conprehendantur, in consideranda eorum codicum auctoritate separandae videntur.

Scriptorum librorum qui Senecae epistulas continent per universam Germaniam et Galliam et Helvetiam et Italiam dispersorum magnus numerus extat, eorumque multi ab editoribus vel obiter inspecti vel adcurate explorati sunt. sic, ut exemplis utar, Parisiis in bibliothecis Caesareis 7 numero adservantur, Romani plus triginta, Bambergenses tres, Argentoratenses tres, Bernenses singulos habent. sed in tanto numero pauci sunt quorum conlatione hodie Senecae epistulae adiuvari posse videantur. non antiquitate, sed tamen integritate reliquos quotquot adhuc innotuerunt omnes longe superat liber qui olim Petri Pithoei erat, hodie Parisiis adservatur, numero 8540 a bibliothecariis inscriptus, a Fickerto signo *p* distinctus. qui undecimo, ut docti aestimant, saeculo scriptus est. de quo paullo copiosus dicendum existimamus. libri Pithoeani quae sit externa species e descriptione quam dedit Fickertus prolegom. pag. 51 et edit. tom. I pag. XXIII intellegimus. codex membranaceus est, ea forma quam vulgo in folio minori dicunt. schedae non bipertitae sunt numero 54, versus paginarum triceni terni, sub finem libri triceni quaterni. olim continuit epistulas 88 priores, nunc amissis aliquot schedis deminutus est. ac primum cum in fine libri excisae sint aliquot schedae, nunc ultimae primi voluminis epistulae omnes inde ab epistula 71, 7 (7)*) ei desunt. deinde in medio codice duae schedae desiderantur, altera haud procul ab initio

*) Utemur in commemorandis singulis locis eis paragraphorum numeris quos Haasius exemplaribus anno MDCCCLIII a se editis adscripsit; numeros editionis Fickertianae quae anno MDCCCXLII prodiit circumscriptos adiecimus.

(ubi satis magnum interstitium est inde ab ep. 6, 1 ad 8, 8, ita ut quae verbis *aegris gratulatio — potuit auferri* in aliis codicibus intermissa sunt desint), altera quae continuit ep. 51, 1 a verbis *enim legi* — 53, 4 *dum viam.* denique accidit ut duae schedae (quae erant numero 31 et 32) continentes ep. 121, 11—122 extr., cum fortasse conpagibus solutis a suis sedibus aberrassent, insererentur inter epistulae 47, 8 verba *videre ingenium* et *potes quam ille.*

Alterum praestabile bonitate exemplar quod ad Pithoeanum proxime accedit olim Augusti Thuani erat, nunc Parisiis servatur, numero 8658 *A* notatum, a Fickerto littera *P* insignitum. quod saeculo X adsignant homines docti. membranaceus est forma octonaria. schedae sunt 126, non bipertitae; versus paginarum in primis octo schedis undevicenos vicenosve, in eis quae secuntur undetricenos tricenosve conprehendunt. continet quoque priores epistulas 88. is igitur liber proxime ad Pithoeanum accedit ac saepe solus cum eo vel recta vel veri vestigia proxima servavit; sed non nunquam a Pithoeano desciscit, sive solus peccat, sive cum multitudine deteriorum librorum eadem corruptela laborat. inter omnes igitur epistularum libros qui hodie extant adcuratiusque explorati sunt duo illi de quibus exposuimus Parisienses, Pithoei liber (*p*) et Thuani liber (*P*) optimi recte habentur. ex eis veteris scripturae certissima vestigia in libris epistularum tredecim prioribus repetenda esse nobis videntur, sed ita ut Pithoeanum Thuani libro fide et auctoritate praestare censeamus. quod multo quam antea factum erat melius Haasius perspexit. adparet vero in eis epistulis, ubi Pithoeano caremus, non paullo infir-

mius fundamentum esse quam alibi et plura in incerta suspicione relinquenda esse*).

Thuaneo igitur, ut iam supra diximus, fidem interdum Pithoei librum abrogare, liquido confirmare possumus, sed utriusque quoque auctoritatem aliquando inminuere videntur duo deterioris notae codices, Parisiensis *b* (8539) et Urbino-Romanus *v* (219): qui propter singularem quandam cognationem ex reliquorum turba fortasse eximendi Haasio videntur. sed haec res nondum ita explorata est ut nihil dubii relinquatur. qui cum saepius ad deteriores inclinare videantur, a *P* et *p* longius seiungendi nobis esse videntur, quam a Parisino *b* et Urbino-Romano deteriores separantur: ita ut a libris Pithoeano et Thuaneo ei non deprompti, sed ex communi aliquo fonte hi rivuli deducti esse videantur. sed de his non nullisque aliis deterioris familiae codicibus iudicium adhuc ambiguum est, quippe qui nondum adcuratius excussi sint**).

Reliquorum quorum magnus est numerus codicum nulla propria auctoritas est: nusquam enim ex antiquitate ullam lectionem servarunt, quae, vel cuius vestigium, non in Pithoeano aut Thuaneo inveniatur. fit tamen non nunquam ut feliciter coniectando vel in uno libro novicio vel in con-

---

*) Minime contemnendus, fortasse princeps omnium esset Ioannis Nicotii liber quo usus est Opsopoeus, si superesset hodie. sed huius nullum usquam inde extat vestigium, sive dudum periit sive latet alicubi in bibliothecarum angulis. itaque eo magis dolendum est, quod Opsopoeus eius scripturas illius aetatis more tantum carptim indicavit.

**) De qua re fortasse et uberius et adcuratius disputare licebit, si per auctumnum, quem fore ut Parisiis degamus sperare licet, illum librum numero 8539 notatum explorare nobis contigerit.

pluribus aliquod vitium sublatum sit. codices vulgares igitur non ex ipso Pithoeano vel Thuaneo, sed ex aliis similibus orti sunt et sensim degeneraverunt. sed in communi illo parente ex quo et *P* et *p* et deteriorum principes ducti sunt iam initium factum fuisse videtur multorum vitiorum. pleraque vitia magna in pravis constantia per omnes recentioris aetatis deteriorisque stirpis libros propagantur. per se quidem patet (et obiter iam supra diximus) multa menda in uno aut altero codice recenti, qui nihil alioquin boni habeat, aut coniectura esse emendata, aut parum recta mutatione longius a prima vitii forma detorta esse. sed haec observatio tantum abest ut valeat aliquid ad eorum in mendis consensus pondus minuendum, ut etiam plus valeat ad fidem eis abrogandam. sed noluimus mendis quae in altero libro essent, in altero non essent enumerandis et operam nobis et taedium lectoribus (si tamen quos nanciscimur) facere sine ullo ad verum inveniendum emolumento.

Pauca de ratione quae inter Pithoeanum intercedat his quae hucusque disputavimus adiungenda videntur. Pithoeanus enim, quanquam pro primario recte habetur, tamen Thuanei parens minime habendus est. consensum vero Thuani libri cum Pithoeano pro firmo pignore lectionis pristinae, id est in archetypo, ex quo utriusque parens fluxit, inventae habemus. in dissensu librorum quam maxime auctoritati Pithoeani obsecuti sumus: ut epistula 63, 2, ubi miramur Fickertum Haasiumque codicis *p* auctoritati obsecundare noluisse, unice verum exhibentis, *per lacrimas argumenta desiderii quaerimus et dolorem non* QUERIMUR *sed ostendimus.* ceteri, *sequimur.* hoc autem modo quod

scriptoris manus restituenda sit, neque libri *p* auctoritas dubitare sinit neque ipsius orationis concinnitas.

Nec minus veremur ne Fickertus in constituendo epistulae 23, 6 (5) contextu quiddam quod idem liber suppeditat non recte neglexerit. exhibet enim Pithoei liber haec, *corpusculum quoque, etiamsi nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede quam magnam: vanas subgerit voluptates,* BREVI *poenitendas, ac nisi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras.* merito Haasius ceterorum codicum scripturam quae est *breves* sprevit potioremque Pithoeani lectionem adsumpsit.

Sequitur epistulae 31, 4 (4), in qua vitium deprehendere nobis videmur quod Fickertum latuit, ab Haasio vero eiusdem Pithoeani codicis ope emendatum est. verba haec sunt, *rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint minusque sibi vinci ac strigare permiserint,* ADPROBABO *et clamabo: Tanto melior surge et inspira et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera,* quae ita ut emendanda duximus adscripsimus. Pithoeanus habet *adprobabor,* ceteri *admirabor.* hoc loco eo uti possumus ut addamus eum exemplorum acervo quae omnia clamandi verbo non subesse advocandi vel invocandi significationem clamant. de hac re adcuratius aliis Mauricius Haupt in prooemio ind. lect. univ. Berol. a. MDCCCLIV disseruit.

Minus memorabilis est Pithoeani scriptura in epistulae 32, 4 (4), sed tamen ita ut praeferenda videatur, *optaverunt itaque tibi alia parentes tui: sed* HAEC *contra omnium eorum contemptum opto quorum illi copiam.* ceteri exhibent, *sed ego contra,* quae Fickertus retinuit.

Restat ut de librorum manu scriptorum qui epistula-

rum quae supersunt posteriorem partem continent auctoritate et fide eis quae disputavimus pauca subiungamus. atque epistularum illarum instrumentum criticum ad aestimationem et usum simplicius est. nam si excipias duas illas schedas e vetusto aliquo libro evulsas quas medio codici Pithoeano insertas esse vidimus post epist. 47, 8, duo restant et antiquitate et bonitate praestantes, alter Bambergensis, Argentoratensis alter. uter certius ac fidelius propagaverit genuinam scriptoris manum dubium esse non potest. nam in recensendo hoc altero volumine si altero utro carendum esset, non dubitaremus pro Bambergensi concedere Argentoratensem. fortasse ex coniuncto utriusque libri usu cauto et iusto optime res agenda erit; sed de Argentoratensis libri auctoritate adhuc incertior res est, quippe cuius scripturae nondum satis adcurate exploratae sint. gaudio vero adficeremur, si quam conlationem nancisceremur, ex qua nos nunc paullo contemtius de eo iudicasse intellegeremus. ut nunc res est ad illum unum codicem Bambergensem (quem Fickertus *B* signo notavit) emendatio dirigenda erit. quod nono saeculo eum scriptum alii putant, eius rei iudicium relinquimus eis qui in hoc genere aetatis codicum aestimandae exercitati sunt; sed tutius agere videntur qui eum saeculo recentiorem faciunt.

His de librorum manu scriptorum, qui quidem in numerum veniunt, expositis, antequam ad singulos locos considerandos accedimus, non nulla de hominibus doctis qui Senecae operibus emendandis operam inpenderunt adicienda videntur. atque epistulae quidem ante ceteros Senecae libros editae sunt: quarum editio princeps, quam grammatici dicunt, cum urbem, annum, typographum nus-

quam prodat, anonyma adpellari solet. quam adcurate et copiose Fickertus in prolegom. pag. 10 descripsit. multas illas quae medio quod vocatur aevo ad finem vergente prodierunt aut operum quorundam aut universi Senecae editiones scientes praetermittimus. quas omnes Fickertus proleg. pag. 13, 33 uberius descripsit. inter criticos proximae aetatis, qui quidem scriptorum eius emendationem promoverunt, Erasmum, Sigismundum Gelenium, Ludovicum Vivem, Ferdinandum Pincianum *), Coelium Secundum Curionem **) nominasse sufficit, quorum Erasmus et Pincianus de universo Seneca bene meruerunt. non male Senecae librorum emendatio M. Antonio Mureto cessit, homini felicis saepe ingenii et doctrinae copiosae, qui multa menda egregie sustulit. Dionysium Gothofredum gloriantem quod 'paene integrum annum apud Senecam persederit' omittimus. post Franciscum Modium saeculo XVI ad XVII inclinato ad eum recensendum accessit Ianus Gruterus, homo magna et diligentia et sollertia in libris manu scriptis eruendis illa aetate insignis. si quis est qui desideret in eius et editione et libellis eam variam lectionum copiam quam nunc colligere et licet et necesse est, ei respondebimus, inique facere qui eum nostri aevi modulo metiantur neque expostulandum esse ab eis quae dare aut non potuerunt aut noluerunt. paullo post stataria opera ac perpetua Senecam recensendum sibi sumpsit Iustus Lipsius, recti elegantisque iudicii homo, qui in eius libris et emendandis et inlustran-

*) Pincianus quinque vitiorum milia (!) iactat a se sublata esse.

**) Curio qui Senecam ab innumeris vitiis liberasse sibi quidem videbatur, sed tamen perpauca laudabiliter gessit, in aestimandis vel potius celebrandis suis de Seneca meritis rara arrogantia et magniloquentia utitur.

dis singularem posuit operam inde a Lipsio usque ad Gronovium omnes Senecae editores nihil paene novantes contextum ut a prioribus constitutus erat recudendum curaverunt. tum ad eum accessit Ioannes Fridericus Gronovius, vir ingenio, iudicio, eruditionis in Latinis litteris copia praeclarus: qui pauca quidem ipse mutavit, sed quae apud eum in notis delitescebant, magnam partem arripuerunt posteriores et in contextu posuerunt. illis vero hominibus maiorum aetate doctis plurima debemus quae in Senecae librorum oratione rectius aut constituenda aut intellegenda praestita sunt. neque enim sumus qui eorum gloriam detrectemus qui adcurata et copiosa linguae Latinae scientia magnaque sagacitate ab omnibus argutiis remota non modo suae aetatis homines superaverint, sed inter omnes omnis temporis excellant. itaque quae ingenii acumine et exquisitae doctrinae auxilio praestari potuerunt, ea praestita esse a Grutero, Lipsio, Gronovio nemo est quin fateri debeat. illorum vero hominum opera non id effectum esse ut res confecta videri possit plurimaque superesse quae novam eamque acriorem curam flagitent, nulli nisi harum rerum ignaro mirum esse potest. ac profecto homines illi de Seneca optime meriti, cum nec magna codicum copia extaret nec bonorum, fieri non potuit quin in magnis ulceribus sanandis occupati multa relinquerent quae adhuc critico auxilio egeant. huc accedit quod, qua erant sedulitate et diligentia, in rerum verborumque interpretatione maximam operam posuerunt. in eorum observationibus plurimum adiumenti habuimus ad Senecae verba rectius aut constituenda aut explicanda. adhibuerunt enim antiquorum libris emendationem sanam et prudentem, sententiae et orationis

pondera examinantes et scriptoris consuetudinem considerantes, sed ut a singularum litterarum nimis quaesitae et contortae consectationis artificiis, quae nuper magna saepe scientiarum calamitate pullularunt, abhorrerent. qui labem quam librorum depravatio sententiae intulerat eluere unice intenti litterarum apices parum anxie rimabantur et externam mutationis probabilitatem aucupari supersedebnt. qui cum in Latinum sermonem sese insinuassent, copiosa linguae scientia et recto simplicique iudicio freti non vestigia rimando e locis depravatis verum eruere studebant. — quorum vestigia legerunt auctoritatemque merito amplexi sunt qui recentiore tempore ad Senecam accesserunt. magno intervallo quo nihil fere profecit Senecae operum emendatio, ad eam accessit Ruhkopfius: cuius laborem, quanquam non omnino fructu caruit, non tamen est quod tanti facias: emendationis enim officium aut parum diligenter aut infeliciter administravit. eodem fere tempore Argentorati prodiit epistularum Senecae editio Schweighaeuseri, recti simplicisque iudicii hominis, qui, subsidiorum quae Argentoratum ei subministrare poterat haud incuriosus, non ita pauca acute emendavit. anno MDCCCXXVII prodiit Lutetiae Parisiorum splendidissime ornata editio Bovilleti, quae sub hoc uno nomine hominibus doctis placuisse videtur. quam cum non viderimus, utrum Gronovium aliosque superiorum saeculorum homines doctos paullo inpudentius conpilasse iure dictus sit an secus, non quaesivimus. neque Vogelii duo volumina Lipsiae edita ulla laude digna sunt: nam neque ipse aut emendando aut explicando memorabile quicquam effecit, neque, quae priores egerant, recte et cum cura disposita exhibuit. tum ad Senecae phi-

losophi opera, cum a hominum doctorum adcurata et scita cura plane destituta fuissent per longius huius saeculi tempus, accessit Carolus Rudolfus Fickert, homo de Senecae scriptis praeclare meritus, qui congestis et in usum vocatis omnibus emendationis auxiliis novam editionem paravit, in qua adornanda id egit ut varietate scripturae ad omnes libros maxima cum diligentia enotata novum edendi iaceret fundamentum. quare magnam Fickerto gratiam habendam esse censemus quod quae codices praebent adcurate exscripsit eoque viam patefecit opitulandi Senecae. sed in recensendi (ut barbare loquamur cum grammaticis) officio non eadem laude dignus est: non tam subactum erat eius iudicium quam adcurata et sedula diligentia. accedimus nunc ad editionem Friderici Haasii quae Lipsiae anno MDCCCLIII prodiit: Fridericus Haasius, homo doctissimus atque acutissimus, sed tamen temerarius, praeter multa verissima, mirabili quadam animi levitate innumera alia temere orationi Senecae intulit.

Eiusmodi vel leves vel incertae coniecturae, si tamen servandae putantur, in imis paginis abscondendae sunt. sed quod Haasius, merito in artis criticae huius aevi principum numero habitus, multa quae non potuit certa existimare, sed ut aliquo tamen modo poetae consuleret scriberetque quae saltem intelligi possent commentus est, in ipsam Senecae orationis seriem recepit, id nobis quidem non prudenter fecisse videtur. nullo quidem veritatis detrimento hanc rationem persecutus est, sed tamen vellemus eum veri nimis dissimilia a Senecae verbis separasse.

Nimis saepe vir doctissimus libidini illi resecandi vel ut verius dicam circumscribendi indulsit. cum vero Seneca

non ubique simpliciter loquatur, sed non nunquam orationem exoneret, temerarii esset resecare abundantia. etenim si in hanc pronam vel potius praecipitem viam declinamus resecandi omnia quae tanquam otiosa displicent, tum multum a Seneca abiudicandum erit.

Minus late quam Haasio visum est patet in Senecae epistulis illud additamentorum genus quod verbis continetur ad orationem explendam sententiamve declarandam adscriptis, deinde errore in ipsam orationem receptis. Haasius cum multis locis sine idonea causa ea quae omnium consensu codicum confirmata erant resecandi pruritui obtemperans cancellis includenda curavit, parum prudenter egisse putandus est. pro arbitrio eum egisse concedant necesse est etiam ei qui ipsi illam delendi resecandique quae hodie invaluit consuetudinem adamaverint et cum magno litterarum detrimento exerceant. sed ut certius res iudicetur, ponamus in conspectu nonnulla quae quanquam proborum librorum consensu defensitata minimeque a Senecae orationis variandae ducendaeve consuetudine abhorrentia, ab Haasio damnata et, ut fieri solet noxiis, in carcerem inclusa sunt. attendi autem velimus in uno et altero exemplo quam leviter festinanterque talia saepe circumscripta sint. veluti epist. 53, 10 (11) ubi haec narrantur, *Alexander cuidam civitati partem agrorum et dimidium rerum omnium promittenti* ‘*eo*’ *inquit* ‘*proposito in Asiam veni non ut id acciperem quod dedissetis, sed ut id haberetis quod reliquissem*’. *idem philosophia* REBUS *omnibus* ‘*non sum hoc tempus acceptura quod vobis superfuerit, sed id vos habebitis quod ipsa erogavero*’. quae adscripsimus sicut in libris leguntur. Haasius *rebus* ut delenda circum-

scripsit: haec facillima via est removendi difficultates. Hauptio debemus id quod plane necessarium est 'VERBIS'.

Ep. 49, 10 (10) leguntur haec, *exhortare adversus difficilia,* DE AEQUANIMITATE *adversus inevitabilia.* Haasio verba quae sunt *de aequanimitate* orationis et placidum cursum et concinnitatem turbare videntur: itaque ea circumscribenda duxit Haasius. abstinendum est ab omni mutatione; itaque ne Schweighaeuseri quidem bonam coniecturam probamus, cui in mentem venit '*da* aequ.'

Pithoeani codicis non nullas egregias ac proprias scripturas, ut inmerito eas neglectas esse ostenderemus, supra attulimus. sed in his tantis meritis tamen haud raro propria menda erroresque inscitia ortos eum habere, per se patet. primum enim uno et altero loco, litterae syllabaeque alicuius geminatione, integra scriptura saepe obscurata est. notavimus in epist. 49, 1 (2), ubi bis scriptum est quod semel scribi debebat, geminata prima verbi syllaba *strepitus iste belli*CI CIR*cumsonantis,* pro *belli circum*sonantis. eodemque pertinet ep. 59, 3, ubi haec leguntur, *tamen ego non immerito dixeram coepisse me magnam ex epistula tua voluptatem: quamvis enim ex* HONESTA CAUSA *inperitus homo gaudeat, tamen adfectum eius inpotentem et in diversa statim inclinaturum voluptatem voco, opinione falsi boni motam, inmoderatam et inmodicam.* adscripsimus haec sicut a Lipsio egregie emendata sunt. nonnullis litterarum apicibus geminatis exhibetur in *P* et *p* ineptum illud '*ex homine ista*'.

Plane simile mendum invenitur in Livii VIII, 18, 7, ubi Mediceus idem geminatione *ita* litterarum ortum mendum habet, *et coquentes quasdam medicamenta et recondita*

VITALIA. ceteri codices et rectissime et simplicissime, *et recondita* ALIA. plane contrarium accidit in epist. 58, 26 (23), *hoc ego Lucili facere soleo; ex* OMNI NATIONE, *etiamsi a philosohia longissime aversa est, eruere aliquid conor et utile efficere.* in omnibus libris quorum quidem aliqua auctoritas est, scriptum invenitur pravum illud *natione* vocabulum. et sententia adeo manifesto prava ex illa librorum scriptura nascitur, ut etiam hebetioris mentis hominibus hic mendi suspicio venisse videatur. quid requireretur, homines prisci simplicis atque recti iudicii sensisse videntur, sed ut mutationem quae probabilitate quadam commendaretur non attingerent. *tractatio,* inventum Mureti, nimis distat ab litterarum apicibus, et illud ipsum quod tota cogitatio postulare nobis videtur litteraeque mendosae paene demonstrant, non adsequitur. sed ne id quidem quod nescio cuius coniectura natum vulgo legebatur *ratione* verum esse potest. sed profecto in eo quod libri habent *natione* aliud latere debet quam quod homines docti inde elicuerunt: immo non latet, sed mendo haud ita obscuro vix obtectum est. mendum ita antiquum itaque occultatum iam in antiquissimis qui aetatem tulerunt libris invenitur, ut difficile sit adsensum extorquere. omnia sanabunt vulnera duae syllabae retractae, quas librarius oculorum errore omisisse videtur OCCUPATIONE. subeunda autem, veritate cogente, audaciae reprehensio est.

Aliud huic adfine mendum e Livii VI, 18, 15 adferre liceat, ubi *ad opinionem de ea (dea)* pro *ad optinenda ea* in uno codice legitur.

Deinde in uno et altero loco verbum aliquod in *p* omissum est. notavimus eiusmodi vitium quod oculorum error

genuit epist. 48 *a* 3 (3), ubi in *p* tantum inter voces quae sunt *cum* et *communia* translaticii erroris causa (ubi similes syllabae se excipiunt) AMICO excidit.

Erroris frequentis exemplum positi in *m* littera in fine vocabuli addenda detrahendave invenitur in epist. 49, 10 (10). ubi manifesto errore in *p* exhibetur, *doce non esse positum bonum vitae in spati*UM *eius, sed in usu.*

Leguntur in epistula 110, 6 (6) haec, *nemo ausus est ad id, quo perturbabatur, accedere et naturam ac bonum timoris sui nosse itaque res falsa et inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere: iam adparebit, quam brevia, quam incerta, quam* TUTA *timeantur.* in enunciatis illis quae adscripsimis unum est vocabulum in quo peccasse librarios hominesque doctos male adquievisse putamus. nam aut nos caecutimus plane aut caecutierunt editores quibus *tuta* offensionem non moverit. non putamus Senecam dissimilia ita coniunxisse; *tuta* illi loco minime convenienter dicitur: neque enim in illa cogitationis forma subito ad contraria delabi possumus. nobis saltem persuasum est gradationem quandam inesse huic, ut ita dicamus, enumerationi scribendumque esse STULTA, id quod aptum est et satis probabile.

Hinc ad aliam Senecae ad Lucilium epistulam nos convertimus, in qua quae vulgo leguntur intellegi quidem possunt et vera videri, Senecam autem aliter scripsisse, vestigia quae in Bambergensi insunt manifesto docent possumusque epistulae veram fortasse formam reciperare. et magni momenti profecto est epistula 108, cuius paragraphum 32 (32) adscribimus, *eosdem libros cum grammaticus explicuit, primum verba* EXPRESSE AB SE *dici a*

Cicerone, id est reipsa, in commentarium refert nec minus sese, id est seipse. ita in Bambergensi non nullisque aliis libris exhibetur; in R et G scriptum est: *expressa a se.* id grammatici alii aliter emendare studuerunt. et multis aliis eorum commentis praestat Pincianum illud *primum Ennii verbum priscum reabse.* inde a Schweighaeusero in plerisque exemplaribus legebatur *primum verba prisca.* nihil quidem haec oratio habet quod merito reprehendas: sed tamen alio ducere nobis videntur veteris scripturae vestigia. nobis quotiescunque de hoc loco cogitavimus unum semper occurrit vocabulum et aptissimum et propius ad librorum vestigia recedens, idque restituimus litteris *ex* servatis, ceteris paene non mutatis. hoc enim scripsisse Senecam existimamus, *primum verba* EXOLETA, *reapse dici a Cicerone* cet. eis qui sine exemplis nihil credunt subministramus locum ubi exoleti vocabulum in eodem conexu usurpatur. legitur enim epist. 114, 10, *cum adsuevit animus fastidire, quae ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota ac deflectit, modo, id quod nuper increbruit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens.*

Idem vocabulum, sed plane alio sensu usurpatum, in Velleii II, 28, 3 e depravata codicis Murbacensis scriptura eliciendum esse primus vidit editor Basileensis.

Non inutiliter disputaturi nobis videmur de epistula 83, 12 (11), *Tullius Cimber et nimius erat in vino et scordalus. In hanc rem* LOCUTUS *est ipse: »Ego,« inquit, »quemquam feram qui vinum ferre non possum?«* quae,

omnibus codicibus hoc loco nimis superstitiose obsecutus, Fickertus repetenda duxit. at quivis, qui incorrupto iudicio fruatur, licet codicum scripturae tenacissimus sit, videat oportet, merito Muretum codicum scripturam sprevisse. qui id quod omnes veritatis numeros in se habet, invenisse nobis videtur, translaticii erroris mutatione lenissima orationem talem efficiens qualem ut a scriptore conformatam fuisse credamus ipsa nos cogitatio adducit. scripsit enim: IOCATUS EST. quam proclivis hic error sit, in aprico est. littera enim quae est *i* iam in ea scriptura quam Merovingicam technici adpellant, deinde proximis saeculis saepe numero sursum producitur ita ut a *l* littera paene distet.

Hac observatione nos eo utemur ut alium locum (epist. 65, 19) non prorsus dissimiliter emendemus. ibi *p* et *P* exhibent, *quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, in una* (fortasse: NIMIA) *deformitate* LATENTIBUS *faciem divisit?* Opsopoei liber habet *iacentibus;* utraque scriptura Senecam uti potuisse concedendum erit, sed tamen Opsopoeana praeferenda nobis esse videtur. utra veram scripturam propagaverit, quis dixerit in tanta *i* et *l*, *c* et *t* litterarum similitudine?

Adfinis est facillima *i* et *t* litterarum mutatio, veluti propter hunc errorem epist. 114, 12 (12) Bambergensis habet, *nullum sine* VENTA *placuit ingenium* pro *venia* et idem liber epist. 114, 13 (13) *Coruncantum* pro *Coruncanium.*

Quam vitiosae e levissimo errore ortae scripturae et *P* et *p* insideant, exemplo esse potest epist. 65, 11 (12), ubi quae perversa nobis videbantur leniter inflexIMus: nam ne litterulam quidem de veterum librorum scriptura recedentes

scribendum putavimus pro *mutatio* IMITATIO. quod vocabulum cum plane necessarium tum ita in propinquo est, ut id nulli hominum doctorum in mentem venisse miremur. haec scripsisse Senecam satis manifestum est si contuleris quae § 3 dixit *omnis ars naturae imitatio.*

Inferius in hac epistula (§ 12) leguntur in editionibus Fickerti et Haasii, *ista enim, quae* RETULISTIS, *non sunt multae et reliquae causae, sed ex una pendent.* codices, quorum aliquid est momentum, omnes non *ista* sed *ita* exhibent; pro *retulistis* quod in *P* legitur, *p* habet *retulissetis.* recte omnia erunt et facile decurrent, si diviso vocabulo quod ex duobus coaluit scribimus: ITA *enim quaecunque* RETULI, ISTIS *non sunt* cet. Hauptius similiter Velleii II, 2, 2 felici coniectura restituit. (cf. relationes societatis litterariae Saxonicae a. XLIX.) leguntur enim in editione principe *omnibus statum concupiscentibus,* quae sensu carent. lenissima mutatione Mauricius Hauptius scripsit, *omnibus* ISTA TUM *concupiscentibus.*

Non minus emendationem postulat epist. 121, 22 (22), *non vides quanta sit subtilitas apibus ad fingenda domicilia? quanta* DIVIDUI *laboris obeundi concordia?* ita in Bambergensi legitur; in Pithoei libro (cuius auxilio hac in epistula casu quodam fruimur; cf. quae supra disputavimus) exhibetur *obeundi*QUE, ut depravationis vestigia deprehendantur. quae homines docti temptaverunt non bona sunt ad sententiam, neque scriptoris manum restituere poterant, cum vitium non in sede sua quaererent. quod a Haasio prolatum est *dividendi,* quanquam proxime accedit ad codicum scripturam, ideo probari nequit quia verbis illis antitheton aliquod inesse videtur. nos quae requiri

videntur sic restituere conamur, DESERENDI *laboris obeundique.*

Persuasum nobis est maculam tollendam esse ex epistulae 46 exordio, ... *tanta autem dulcedine me tenuit et traxit ut illum sine ulla dilatione perlegerim. Sol me invitabat, fames admonebat, nubes minabantur: tamen exhausi totum.* iure in huius loci sententia haerere nobis videmur. quae minus apte congruenterque nobis dicta esse videntur. manifesta enim sententiae ratio ita conformata est, ut molestiarum diversa genera enumerentur. tum vero illarum seriei una notione conprehensarum non adici potest quod plane contrarium est. putabimus igitur, donec meliora edoceamur, mendum latere in prima illius seriei parte i. e. in *sol me invitabat.* haud multum a vero haec aberrare putamus quae nobis ipsius loci forma statim subiecit SOL SE INCLINABAT.

Hinc ad aliam Senecae epistulam nos convertimus, in qua quae vulgo leguntur et ex optimis libris sumpta sunt intelligi possunt et vera videri, Senecam autem paullo aliter scripsisse suspicamnr. leguntur enim in epistula 123, 16 (15), *voluptas humilis res et pusilla est et in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima et contemptissima advolant.* nihil in his est quod non possit intellegi, neque cuiquam nata est suspicio. sed tamen proferre volumus — timide quidem — quae hac in sententia nos torserint. putamus enim Senecam acuminibus antithetisque recte formatis gaudentem scribere non potuisse hoc loco debile illud et languidum *mutis,* quod aeque enervatum est ac si 'animalibus' nude dixisset. existimavimus id quod potissimum est gravius inculcari, totam cogitatio-

nis rationem flagitare. itaque *mutum*, quod vocabulum tanquam epitheton perpetuum, quod dicunt, animalibus*) adicere solet Seneca, fortiori quod est *brutum* cedere debere suspicamur, sed ut coniecturae illi diffidamus. confidentius paene de epist. 121, 7 (7) statuimus; putamus enim vocabulum quod est mutum, quod eiciendum voluimus huc inferendum esse. recte enim opinamur nos coniecisse in mendosis litteris *motus* latere *mutis*.

Utrum Haasius in epist. 124, 18 recte scripserit *muta animalia* an secus, non facile diiudicaverimus.

Progredimur ad epist. 92, 31 (29), *nec ad pecuniam respicit aurumque et argentum illis in quibus iacuere tenebris dignissima non ab hoc aestimat splendore quo inperitiorum verberant oculos, sed* AVERTERO CAELO *ex quo illa secrevit cupiditas nostra et effodit.* critici quidem est sordes, quibus verba scriptoris saepe obducta et inquinata sunt, abstergere atque eluere; hoc autem loco ipsum CAENUM scriptoris verbis inducendum esse recte perspexit Gruterus. 49, 1 (2) non putamus scripsisse Senecam, *video lacrimas conbibentem* cet., quod, quanquam satis latine dictum et a poetis saepe usurpatum, vix tamen in hac sententiae forma a Seneca admissum erit. secuntur enim, *adfectibns tuis* INTER IPSAM COERCITIONEM *exeuntibus.* quae cum ita sint, non dubitamus quin Seneca scripserit *lacrimas* COHIBENTEM.

Secuntur ad modum vitiosa; epistul. 104, 11 in Haasii editione hunc in modum constituta est, *gravissimum iudi-*

*) Exempla quaedam congessimus, quae tamen augeri possint, muta animalia ep. 124, 1. mutum aliquod animal. 124, 8 (8). 13 (14). 124, 15. muta allein 124, 16 (17). mutis ac feris 95, 32 (31).

cabis malum, aliquem ex his, quos amabis, amittere, cum interim hoc tam ineptum erit quam flere, quod arboribus amoenis et domum tuam ornantibus decidant folia. quicquid te delectat, aeque vide ut FLORES *vi*RIDES: *dum vire*NT, *ut*ERE: *alium alio die casus excutiet.* qua praestigiatoris arte e sterilibus litterarum apicibus flores elicuerit, indagare non potuimus. sed difficultas vocabuli quod est flores e litterarum ductibus eliciendi nihil ad rem faceret, si eorum commemoratio necessaria esset. sed plane inepte eorum mentio fit. putavimus nos delectari eorum odore vel vario colore, sed non viridibus floribus. viridis vocabulum ut bene de arboribus arbustisque dicitur, ita inepte ad flores refertur. quae cum ita sint flores illos virides ne marcescant e saeptis illis quibus eos inclusit Haasius eiciemus. quid scribendum sit, certo dici non potest.

Epist. 92, 31 scribere malumus, *non aliena* VI *ad summam nititur.*

Epist. 67, 13 non scribendum videtur, *adspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admoventem et voluera parum* DEMISSA *laxantem.* immo: DISCISSA.

Epist. 48*a* 3 (2) cur Haasius a vulgata omnibusque probata scriptura recedat, nobis saltem non liquet. leguntur in omnibus exemplaribus manu scriptis, *omnes hominibus.* alteram utram vocem alteri adaptandam esse, omnes intellexerunt ac plerique simplicissimum eligebant *omnes omnibus.* cur Haasio vulgata mutanda visa fuerit, divinare tantum possumus. meliorem certe scripturam non reddidit, neque lenior erat mutatio. sed cum infercire malit potius quam delere aliquid, nihil antiquius habuit quam ut duas adderet litterulas. saepe a librariis permutari *omnes* et *homines* notissimum est.

Miramur Haasium epist. 83, 17 (16) ad mutationem parum proclivem fuisse. nos quidem certe non intellegimus verbum quod est *hortata.* fortasse ex *exorta* depravatum est.

Epist. 49, 3 ubi legitur in Haasiana editione *sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura* DERISIT, Haasius optimorum librorum scripturam quae est *divisit* sequi debebat.

Epist. 66, 6 scribendum putamus *ex aequo* MODICUS *ac vehemens.*

Epist. 60, 2 leguntur haec *quamdiu nobis populus metet? quamdiu unius mensae* STRUMENTUM *multa navigia et quidem non ex uno mari subvehent?* exhibuimus orationem talem qualis in Fickerti editione conformata est. Haasius dedit *instrumentum,* quod an et rei et sermoni convenienter dictum sit, ambigimus. *P* et Opsopoei liber in *strumentum* conspirant, in *p* verba sic exhibentur, *mensa estrumentum.* emendationem a nobis e vestigiis codicis *p* ductam proponimus, sed dubitanter; neque enim nobis satisfecit, neque aliis placebit. putavimus enim scribendum esse *mensae* ASTRUENDA. potest haec scripisse Seneca, potest alia: itaque abstinebimus ab emendatione quam non putamus certam inveniri posse, cum verum vocabulum litterarum depravatione nimis obscuratum esse videatur. strumenti vocem autem, quam nusquam invenisse meminimus, Senecae orationi non condonandam esse confidimus. alibi quidem Seneca his vocabulis quae in *entum* desinunt saepe numero utitur. adscripsimus nullo delectu habito nonnulla quae in epistulis inveniuntur, auctoramentum epist. 104, 34, capillamentum 86, 20 (19), blandimentum 52, 5, explementum 110, 12, ferramentum 95, 18, firmamentum 31, 3 (3),

fomentum 51, 5, incitamentum 51, 5, impedimentum 104, instrumentum 44, 7; 9, 15, munimentum 49, 8 (8), 95, 14 (14), 86, 8, oblectamentum 9, 7, spissamentum 31, 2 (1), tegmentum 90, 18, temperamentum de tranq. animi 9, 1, velamentum 92, 13; 102, 25, vestimentum 92, 13. — Non plane dissimiles sententiae inveniuntur in consolatione ad Helbiam matrem; ibi cap. 10, 3 (9, 10) leguntur haec in editione Haasiana, *ultra Phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat, nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetiimus aves petere. undique* RARISSIMA QUAEQUE *convehunt omnia nota fastidienti gulae.* — *rarissima quaeque* quae in libris manu scriptis non inveniuntur ex Haasii fabrica venerunt. nobis in *nota* vocabulo mendum latere videbatur: haec incommoda fortasse tollent et orationem et sententiam si non aptissiman, at tolerabilem tamen efficient duae quae semel scriptae sunt syllabae geminatae; scripsit autem aut certe scribere potuit Seneca, *omnia omnivolae fastidientique gulae**).

Consistere paullulum libet antequam ad consolationem ad Marciam transimus in eiusdem capitis paragrapho sexta (1), ubi mutandi pruritui resistere non potuimus; opinamur enim scribendum esse *cum bene cesserit negatio* MULTAQUE MILIA *retulerit*...

Liceat nobis quasi in transcursu vitium tollere quod deprehendisse nobis videmur in consolationis ad Helbiam matrem cap. 7, 3 (6, 10), ubi haec leguntur in exemplaribus, *quasdam gentes, cum ignota peterent, mare* HAUSIT.

---

*) Erravimus in restituendis Senecae verbis; edocuit enim nos Mauricius Haupt *omnivolae,* Catullianum vocabulum, abhorrere a Senecae sermone.

spreto futili illo commento Michaelis *clausit* scribentis coniciemus . . *mare* RETINUIT.

Progredimur iam ad consolationem ad Marciam, in qua multa sunt, quae suspicionem habeant iustam, correctionem vero certam et probabilem non recipiant.

Quod c. 3, 2 in editione Fickertiana legitur *nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari aut aequom in alio,* a Fickerto excogitatum est: libri enim, et inprimis Mediolanensis ille I, de quo supra paucis disseruimus, non haec tria vocabula habent, sed duo tantum, *aequo* et inexplicabile illud *maluo.* Fickertus, ut codicis *A* auctoritatem tueretur, e sua coniectura posuit *aequom in alio:* quod quanquam proxime accedit ad *A* et Berol. scripturam quae paene eo ducere videtur, nullo tamen alio nomine, ut recte animadvertit Haasius, placere potest. nobis quidem Caesar aliusque quilibet languidissime oppositi videntur: alius cuiusvis mentio ieiuna est. materni amoris rationem esse habendam iam vidit Gronovius qui e librorum depravata scriptura *aequo maluo* vel *aequo maius* exhibentium AEQUUM MATRI eruit et plerisque probavit. quod cum paene eadem externae mutationis probabilitate elici possit melioremque faciat sensum, adsciscendum putamus. laudandus quidem Fickertus est quod quam minime ab antiquissima scriptura recedere velit, sed tamen ei emendatio prudens et cauta, non timida adhibenda est, sententiae et orationis pondera examinans, non singulas litterulas artificiose sectans. huc accedit quod *A,* quanquam ceteris praestat, tamen non omnino vitiis caret: multis enim in locis codicis *A* scriptura ut vera aut proxime ad sinceram accedens frustra defenditur.

Multo magis vitiata sunt quae secuntur, *cum memoriam alterius vix homo potest retinere et frequentare, qui illam tristem sibi reddidit.* adscripsimus haec sicut in editione Fickerti leguntur. plura sunt quibus hic locus laboret, quem ut sanarent alii aliter temptaverunt. e codicum discrepantia tanquam certum atque tutum elici posse videtur, quod in modis, quos dicunt grammatici, verborum conspirant; quos mutare temerarii esset. unice verum vidisse videtur Haasius qui hac emendatione egregia multas ab eo temerarie perpetratas mutationes librorum scripturae conpensavit. scripsit enim vir acutissimus, *cum memoria illius vi*XIT. QUAM *nemo potest retinere et frequentare, qui illam tristem sibi reddidit.*

Non minus emendatione egent quae paullo inferius leguntur atque in editione Fickerti hunc in modum constituta sunt, *aversaberis et alienos liberos et tuos ipsumque desiderans triste matribus omen occurres. Voluptates* cet. *A* habet *occurreres,* quam vitiatam scripturam ceterorum recentiorum exemplarium scribae alii aliter emendare studuerunt. (Berol. occurrere). expedit rem optime cod. ille Mediol. I (*A*) qui veri proxima vestigia exhibens, quomodo vitium et ortum et in ceterorum serie propagatum sit, ostendere nobis videtur. maximam partem correctionis praecepit Muretus qui *occurres* scripsit. quod quanquam a codicum scriptura discedens, tamen ex *A* codice nullo negotio elici posse nobis videtur. *re* syllabam cum geminandam putarent librarii, ut depravatam scripturam tollerent, *s* littera omissa, scripserunt *occurrere.* quae Haasius in textum recepit, ea non uno nomine perincerta nobis esse videntur: *occurrere* quidem retinuit, sed *ipsum* in *ipsa* mu-

tavit. veremur ne, hac emendatione admissa, erronea sententiae interpretatio legenti suggeratur. at non luctum doloremque Marcia ostentat (hic autem sensus Haasii verbis inesse nobis videtur), sed dolorem fovet aliosque non curat. quod autem Haasius dicit difficultatem quandam esse in voce quae est *ipsum,* qua adpellari non possit Marciae filius mortuus, cuius antea nulla mentio fuerit, hoc non magni momenti esse videtur. nam de illo tanquam cardine tota disputatio vertitur ita ut ad eum respici possit sine magno verborum adparatu. nos scribendum putamus, *aversaberis et alienos liberos et tuos ipsum* (vel ISTUM) *desiderans, triste matribus omen occurres, voluptates* cet.

Plane egregia emendatione manum scriptoris restituit Haasius in eis quae secuntur scribens *invita haerebis in luce.*

Mirificum glossematis, quod dicunt grammatici, genus idem Haasius in paragrapho quarta detexisse sibi videtur, ubi duas illas voces quae sunt *ac mitius* resecandas significavit. quae unde accesserint, quae sit additamenti causa, nemo, fortasse ne Haasius quidem, divinare poterit. itaque noluimus IX, 3 Fickertum sequi qui verba *ut cogitet* (ita enim inde a Gronovio, lenissima adhibita mutatione, legebatur pro *et cogitet*) glossema esse ratus delevit. verba illa exhibentur in plerisque codicibus eisque optimis, in duobus tantum *cogitat* omissum est *et* voce servata. non est hoc loco cur de additamento cogitandum sit; immo vox *cogitet* consulto, non moleste ex antecedente verbo repetita esse nobis videtur. cui eiusmodi res glossemata redolere videntur, ei multa in omnibus omnium temporum scriptis delenda erunt. — Liberior coniciendi campus patuit IX, 4, ubi codicum scripturae tam longe inter se distant, ut eorum

discrepantiae vix conciliari posse visae sint. permiris ille coniecturis temptatus locus nunc in pristinam formam restitutus est acumine Mauricii Hauptii qui vidit scribendum esse pro inepta illa exemplarium scriptura *e populo: e* PULPITO.

Non minus in eadem paragrapho emendatio successit praeceptori clarissimo et de nobis optime merito. (cui quantum et in universa studiorum ratione et in hoc libello elaborando debeamus, quantopere nos disciplinae severitate provexerit ut nunquam satis extollere possumus laudibus, ita semper grato tenebimus animo.) qui, cum iam a Lipsio recte emendandi via inventa esset, corruptissima verba ad hanc formam revocavit, *quem pavor repentinus cludit et ex inproviso sonus auribus gravis excutit.* Haasiana coniectura partus repentinus est.

Iam accedimus ad Ludum. eruditiores illi homines qui renascentibus litterarum studiis Senecae scriptis operam inpendebant, Ludi quoque menda iam longius detorta emendare conabantur; illis vero in primis qui septimo decimo saeculo docti erant, Grutero, Fromondo, Lipsio, Gronovio paene omnia debemus quae in Ludo usque ad nostrum aevum praestita sunt. nuper tandem studia Ludi quae longe deferbuerant resuscitata sunt. nam quod dudum desiderabatur, ut Ludo Senecae, facetissimo libro lectuque iucundo, ea adhiberetur artis criticae opera quam haec tempora postulant, id nuper Francisci Buecheleri, viri libris diligentissime scriptis clari, diligentia effectum est, qui sic de Ludo meritus est, ut ei magna ab hominibus philologis debeatur gratia. Schusleri, Batavi cuiusdam, quam levis et futilis opera fuerit, etsi antea non ignotum, nunc sedula Buecheleri cura monstravit apertissime. cui ad-

curata Petronii dicendi generis observatio Ludi in verbis aut constituendis aut explicandis valde profuit.

Sed antequam singula persequimur, pauca dicere libet de ea quaestione, a qua omnis in eiusmodi rebus disputatio incipienda est, de exemplarium manu scriptorum auctoritate: de qua non nulla paullo aliter quam antea factum erat, studiose inspecto Buecheleri libello, statuendum esse nobis nunc persuasum est. Ludi cum duo extent codices et antiquitate et bonitate ceteris praestantes, sed multis loces inter se discrepantes, alter Sangallensis, Valentianensis alter, uter certius ac fidelius propagaverit genuinam scriptoris manum, ambiguum diu et saepe iudicium erat. nunc autem, cum tres*) conlationes codicis Sangallensis publici iuris factae sunt, quod nobis videatur breviter sic significamus, ut in recensendo illo libro faceto si altero utro carendum esset, nos ad Valentianensem ne manum quidem porrecturi essemus. Sangallensis libri enim, quamvis leviorum quorundam vitiorum commaculati vestigiis, ea praestantia est ut emendatio tota ad hunc librum dirigenda sit. antea enim ad emendandum Ludum maius quidem emolumentum redundaturum esse e Sangallensi, sed ex communi utriusque libri usu rem agendam esse existimavimus.

Sed nihilo minus non nulla relinquuntur quae vel Sangallensis ope sanari nequeunt: festivissimi enim illius libri conditio talis est, in qua omnia restituere non sit humani.

*) Quarum duae a Goetzingero et Usenero factae in Buecheleri editione extant, tertia in Caroli Schenkelii libro qui inscriptus 'Beiträge zur Kritik des L. Ann. Seneca' Vindobonae prodiit a. MDCCCLXIV data est.

sic fit ut non nunquam ne ea quidem quae ad verum accedant inveniri possint. huc accedit aliud felicis emendationis inpedimentum, genus dicendi dicimus, quo Seneca hoc in libello pro rei natura utitur. cum multis officeret ignoratio huius satirae Menippeae naturae et proprietatis, crebro abhorrentis a pura et urbana oratione et sermonem verbaque cotidiana imitantis, alii perverso nimiam doctrinam ostentandi studio, alii argutiarum aucupio vel elegantiarum captatione peccaverunt.

De additamentis interpolationibusque quae ante hoc decem et octo menses adnotavimus, cum omnia a Buechelero videamus occupata, (duas tantum omisimus interpolationes quas ille detexit) hic repetere supersedemus. quae cum ita sint pauca de aliquot locis adicimus.

Cap. I leguntur haec, *si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis umquam ab historico iuratores exegit?* cod. Sangallensis '*iuratores*' una voce exhibet, alii vocem in duas distractam praebent. sed litterae cum eaedem sint, codicum auctoritas hac in re fere nulla est. utraque scriptura nacta est defensores; Gronovii opinionem '*iurato res*' tuentis adsciscere non possumus. nam si '*iurato*' cum '*historico*' coniungitur (id quod dici posse Gronovius exposuit) '*res*' vocabulum indistinctius adiectum est adiectionemque desiderat. omnia recte se habent si auctoritati Sangallensis obsecundantes '*iuratores*' scribimus, id quod Turnebus in advers. 19, 12 defendit. dicit enim iuratores proprie esse censores qui eum quem censebant iureiurando adigebant, deinde vero pro testibus iuratis iuratores usurpari. — Initium capitis secundi, corruptum in nostris codicibus, sed emendatum a Fromondo, su-

perioris aevi homine docto, nescio quo casu adhuc vitiose legitur in editione Buecheleri: debebat ex oratione Senecae vocabulum quod est *ortum* eicere sufficereque Fromondi illud ORBEM.

Quae postea secuntur ea praeterire nolumus cum duo ex eis vitia quae in editione Buecheleri nondum sublata sunt certa emendatione removeri et debeant et possint. subiecimus quae in Buecheleri exèmplo leguntur,

iamque suum victrix augebat Cynthia regnum
et deformis hiems gratos carpebat honores
divitis autumni iussoque senescere Baccho
carpebat raras serus vindemitor uvas.

Non credemus scripsisse Senecam, *deformis hiems gratos* CARPEBAT *honores autumni.* repetitio eiusdem eadem forma vocabuli tam parvo intervallo fortasse in iuvenilibus Ciceronis poematis toleranda esset, hic vero offensionem movet. quo accedit sententiae ambiguitas. nos quod ante hos duodeviginta menses coniecimus scribendum esse 'CAPERABAT *honores*' mature abiecimus. unice verum est, nisi egregie fallimur, quod Hauptius in prooemio ind. univ. Berol. 1864/5 protulit TURPABAT *honores.* denique in fine carminis non debebat ferre Buechelerus ineptum illud *iussoque* senescere Baccho.

In fine carminis secundi (cap. II extr.) Buechelerus haesit in verbis *fessas habenas*, scribendumque putavit '*fusas*'. (ut cautos decet hanc coniecturam in adnotationibus deposuit.) quae coniectura plane supervacua est. lassitudo poetice habenis attribui potest.

Initio capitis quarti Buechelerus scribere vult haec, '*at Lachesis mitra canos ornata capillos, pieria crinem lauro*

frontemque coronans'. non perspexisse videtur homo doctissimus se plane ridiculam effecisse orationem. si nobis licuerit esse facetis, adferre poterimus, quae homo et doctus et facetus, quocum de hac coniectura disputavimus de ea dixerit: 'über oder unter der Haube?'

Idem plane dicendum est de ea coniectura quam in carminis cap. IV versu qui est quartus a fine Buechelerus proposuit. *primos axes* cum mutat in *pronos* axes non poeticam sed plane perversam reddidit orationem. notio et significatio quae proni vocabulo subest in hoc verborum ambitu [*a carcere concitat*] prorsus perversam facit sententiam. quomodo enim prona adpellari possunt quae sursum ducuntur? sed ne temere hanc significationem vocabulo quod est pronum adsignare videamur homini doctissimo exempla non nulla quae celeriter quaerentibus occurrerint, in conspectu ponamus. dicit Catullus pag. 38, 19, *sed tenerum prono deflectens pondere corpus.* idem poeta pag. 43, 17, *non glaebam prono convellit vomere taurus,* pag. 63, 10, *qui cum de prona praeceps est valle volutus,* p. 56, 21 *atque illud prono praeceps agitur decursu.* legitur in Moreti v. 10, *admovet his pronam submissa fronte lucernam,* in Ciris carminis, quod falso Vergilio adscribitur, versu 25, *et prono gravidum provexit pondere currum,* in Aetnae, cuius auctor frustra quaeritur, versu 482, *incipit et pronis demittit callibus undis* ('*pronis*' enim scribendum esse viderunt Schraderus et Evervinus Wassenberghius). In capite X plane divina emendatione corruptissima verba in pristinam integritatem restituit Mauricius Hauptius, *nam etiamsi* FERME *graece nescit, ego scio: ἔγγιον γόνυ κνήμης.* quam cum ante hos

undeviginti menses nobiscum per sermones communicasset, gavisi sumus postea Buechelerum quoque maximam partem huius egregiae emendationis invenisse.

Sed vela caperanda sunt (ut verbis Appuleii, perditi illius antiquarii, utamur), quoniam finem scriptioni inponere iubemur.

Quae si hominibus doctis non plane displicuisse viderimus, plura alio loco proferemus.

VITA.

Otto Matthiae natus sum Lebendorfii die 26 mens. Decbr. a. 1842, patre Augusto, matre Antonia e gente Mitiana, Prioraviae, prope Dessaviam Anhaltinorum, pago amoeno iam a Philippo Zeseno conpatriota carmine celebrato, ubi praedium ducis pater conduxit, primos duodecim annos degi. fidei addictus sum evangelicae. prima litterarum elementa ab Andrea Herbstio, nunc Grimmae verbi divini ministro edoctus, Francisceo Servestano, quod Carolo Sintenis rectore eximie floret, traditus sum: ubi litteris me erudiverunt praeceptores dilectissimi, praeter rectorem, Corte, Hammer, Kindscher, Kuehne, Mette, Schulze, b. Fridericus Sintenis. ineunte anno 1861 rite dimissus studiis philologicis operam navaturus academiam Berolinensem petii, ubi scholis interfui in primis Boeckhii, Hauptii, Raumeri, Trendelenburgii, Jafféi, Steinthalii, Droyseni, Goschii, Werderi, Micheleti, Mommseni, Koepkii, Muellenhoffii; praeterea Althausii, Erdmansdoerferi, Franzii, Friederichsii, b. Guhlii, Poggendorfii, Sollyi, Waageni.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas; sed gratissima semper prosequar memoria Augustum Boeckhium et Mauricium Hauptium, quorum eximia benevolentia in seminarium Regium Philologicum receptus sum, cuius per sex spatia semestria sodalis ordinarius, per duo senior fui. praeterea eximia comitate Ludovici Herrigii mihi permissum est, ut in seminarium magistris linguarum recentiorum destinatum reciperer. exercitationibus quoque philosophicis Trendelenburgii interfui.



THESES.

1. Non recte Rudolfus Merkelius in prolusione quam de Ovidii Ibide scripsit p. 360 de Catulli carminis 64 indole iudicavit.
2. Minime probanda est Gervini de Hamleto Shakespearii opinio.
3. Recte scripsit Acidalius Vellei II, 41, 1, *hic nobilissima Iuliorum genitus familia, et, quod inter* OMNIS CONSTAT, ANTIQUISSIMA, ab Anchise ac Venere deducens genus cet.
4. Manum poetae restituit in Aetnae v. 18 Mauricius Haupt scribendo,

   quis non Argolico deflevit Pergamon igni
   AMBUSTAM AUT TRISTEM *natorum funere matrem?*

5. Recte Mauricius Haupt Theocriti carm. 23, v. 27 ss. hunc in modum constituit,

   οἶδα τὸ μέλλον.
   καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει
   καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ.
   [λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ·
   ἁ δὲ χιὼν λευκά 'στι, μολύνεται ἁνίκα ταχθῇ]
   καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ·
   ἥξει καιρὸς ἐκεῖνος ὁπανίκα καὶ τὺ φιλάσεις,
   ἁνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαύσεις.